

sui in hoc parthenium se recipiens, tanta ibidem humilitate præcelluit, ut angustissimam elegerit sub monialium dormitorio cameram, rata se cum illis indignam habitare. Bonis operibus et Christianæ pietatis addicta exercitiis, in hac Cartusia feliciter diem extremum clausit anno 1375, 2 Julii, sepulta in choro monialium sub lampade.

*Ex MSS. hujus Domus.*

### JOANNA DAUFFAY

PRIORISSA GOSNAY

Per annos triginta Priorissam agens summa cum vigilantia et disciplinæ regularis observantia, post transactos in Ordine annos quinquaginta, meritis dives ad Christum Sponsum evolavit, anno 1442, die 2 Julii.

*Ex MSS. hujus Domus.*

### JOANNES DE TORDE LAGUNA

MONACHUS MIRAFLORES

Religiosus columbinæ simplicitatis; ita sollicitus circa custodiam linguæ, ut nunquam ex ore verbulum exciderit incompositum, vel quod ad rem non pertineret. Summa et ardentि in Deum simul et homines charitate ferebatur; quamdiuque vixit in Ordine, se se sem-

per exemplar bonorum operum præbuit. Per annos triginta tres Sacristæ officium exercuit ea cum sedulitate, vigilantia et devotione, ut omnibus esset admirationi. Demum cum quinquaginta annos stetisset in Ordine, nunquam a via perfectionis deflectens, sanctissime vitæ cursum absolvit, anno 1534, die 2 Julii.

*Ex MSS. hujus Domus.*

### THEODORICUS A STOMPWICK

PRIOR DIEST

Hollandus patria; professus hujus monasterii, cuius post suum excidium in utroque statu fuit restaurator; vir ob morum probitatem, eximiam devotionem, exemplarem vitam et disciplinæ regularis observantiam laudatissimus. Feriis sextis solo pane et aqua victitabat. Post multos exantlatos labores, anno 1621, die 2 Julii, ad beatam immortalitatem migravit a Domino remunerandus. Cujus anima post illius mortem visa fuit a pio quodam monacho, instar spheræ seu stellæ igneæ subobscuræ, per spatium illud quo persolvebantur Laudes Defunctorum pro ipso; quibus decantatis visa est lucidior evasisse, ac tunc evanuisse ab oculis cernentis.

*Petrus du Wal, Cartusianus Bruxellensis. Gerardus Eligius ejusdem Domus monachus. Petrus in Bibliotheca Cartus.*